

deputaverit; iisdem juribus fruebatur abbatissa Fontis-Ebraldi quæ olim fuit caput, ac veluti prælata congregationis plurium monasteriorum. Hæc tamen non arguunt veram jurisdictionem: etenim 1<sup>o</sup> Institutio quam abbatissæ faciunt est mera collatio tituli et possessionis, quam haud raro olim permissam fuisse laicis alibi ostendimus (n<sup>is</sup> 293-294). 2<sup>o</sup> Quod ad suspensionem attinet quam forte abbatissa in clericos suo juri obnoxios ferret, dicemus non esse censuram proprie dictam, sed meram prohibitionem ne clerici sacrum faciant, aliosve actus sui muneris exerceant, cujus quidem interdictionis violatio non inducit irregularitatem.

Disciplinam canonicam eo modo interpretantur doctores, ne jurisdictio ecclesiastica videatur commissa fuisse monialibus. « Hoc nunquam fit secundum legem communem, et usum « Ecclesiæ; nec a S. Pontifice factum esse legimus, ait Card. « Petra, quia id non decet, et, licet non sit simpliciter « contra jus divinum aut naturale, est tamen illis minus consen- « taneum <sup>1</sup>. »

ARTICULUS VII. — DE AUCTORITATE EPISCOPORUM IN REGULARES ET CONGREGATIONES RELIGIOSAS <sup>2</sup>.

493. — I<sup>o</sup>. *Quæ sint origo et causæ exemptionis Regularium a jurisdictione Episcoporum?*

I. Canonistæ communiter tradunt omnia monasteria fuisse olim subjecta Episcopis in causis quæ ad jurisdictionem spiritualem attinebant; sed Episcopos minorem partem habuisse quoad ea quæ sunt regiminis proprii conventus; et paulatim monasteria

<sup>1</sup> Card. Petra, *Commentaria in Const.* iv Urbani IV, tom. III, pag. 187-194; — Gohard, tom. II, pag. 675 et seq.; — Hélyot, part. IV, chap. xii et xiii, *Ordre de Fontevault*; — Ferraris, v<sup>o</sup> *Abbatissa*.

<sup>2</sup> Cf. Fagnan, in cap. *Grave de Officio Ordinarii*. — Reiffenstuel, in tit. *DE OFFICIO ORDINARII*. — Hallier *Commentaria in ordinationes cleri Galliani circa regulares*; tom. VI, *Mémoires du clergé*.

magnam libertatem obtinuisse se suaque regendi propriis institutis.

Monasteria non erigebantur absque assensu et benedictione Episcopi, de quo statuit concilium Chalcedonense « nullum « usquam monasterium ædificari posse præter sententiam « ipsius civitatis Episcopi... Monachos qui sunt in regione et « civitate, episcopo subjectos esse... Civitatis autem Episcopus oportere eam quam par est monasteriorum curam « gerere <sup>1</sup>. »

Monasteriis canonice erectis, Episcopus loci plenam in ea habebat jurisdictionem spiritualem. Concilium Arelati celebratum versus annum 455, firmavit privilegia celeberrimi monasterii Lirinensis, ut scilicet « clerici atque altaris ministri, a nullo « nisi ab Episcopo Foro-Julieni, vel cui ipse injunxerit, ordi- « nentur: chrisma non nisi ab ipso speretur: neophyti ab eodem « confirmantur: peregrini clerici absque ipsius præcepto in « communionem, vel ad ministerium, non admittantur. Monas- « terii vero omnis laica multitudo ad curam abbatis pertineat, « neque ex ea Episcopus quidquam sibi vindicet, aut aliquem « ex illa clericum, nisi Abbate petente, præsumat...; laica omnis « congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprii, quem « sibi ipsa elegerit ordinationem dispositionemque perti- « neat. »

Ultima hæc verba concilii referuntur ad regimen proprium Monasterii, et asserunt Prælati regularibus suam communitatem jus regendi propria auctoritate. Successu temporum similia privilegia concessa fuere, tum nonnullis in particulari monasteriis, tum etiam passim omnibus monasteriis quarumdam regionum, ut videre est ex actis concilii Carthaginensis, an. 554 habiti, sub Reparato Episcopo, ad statuendum de libertate monasteriorum, et concilii Romani III, sub S. Gregorio I, an. 601, in quo indictum fuit, « ut nullus Episcoporum præsumeret de

<sup>1</sup> Labbe, tom. IV, p. 757, can. iv concilii.

« redditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, quocumque modo, aut qualibet occasione minuere... Ut defuncto Abbate... eligatur quem sibi, propria voluntate, concors fratrum societas elegerit...; ut invito Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. » Præterea S. Gregorius vetat, eodem decreto, descriptiones bonorum monasterii fieri ab Episcopo; missas quoque publicas ab eo celebrari in cœnobio. « Neque audeat, ait, ibi cathedram collocare, vel quamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem licet levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate <sup>1</sup>. »

Hujusmodi ordinationibus providebatur simul auctoritati Episcoporum et securitati monasteriorum. Abbates libere eligebantur a congregatione fratrum, quam semel electi regebant juxta regulas sui proprii Instituti; Episcopi autem servabant jurisdictionem spiritualem. Hæc causa fuit cur plures sanctissimi præsules qui monasteria erexerant, enixe postulaverint a Sancta Sede horumce monasteriorum exemptionem, quatenus regulæ immutari non possent, nec bona alienari, nec tandem disciplina aliquod detrimentum experiri, a suis in Episcopatu successoribus.

II. Quamvis lege communi, omnis jurisdictio spiritualis reservaretur Episcopo, concessum aliquando fuit monachis, auctoritate Apostolica, ut exercerent in gratiam Christifidelium sacrum ministerium, cujus, exempli causa, probationem deducemus ex privilegio dato nonnullis abbatibus, et quibusdam aliis regularibus eximia virtute præditis, quibus SS. Pontifices identidem hæc ita indefinite indulserunt: « Concedimus tibi prædicare verbum Dei, sancti Petri auctoritate et nostra <sup>2</sup>. »

<sup>1</sup> Labbe, tom. IV, col. 1024. — *Ibid.*, col. 1785, acta Conc. Carth. — Tom. V. col. 1197, 1198.

<sup>2</sup> Marculphi *Formularum* lib. I de *Privilegio*. Not. ad lib. I Marcul-

Frequentiores vero evaserunt exemptiones a tempore quo formari incœperunt congregationes sub uno præposito generali: impossibile quidem fuisset providere unitati regiminis, si monasteria in variis provinciis erecta, et regulares ubicumque versarentur explendi sacrum ministerium causa, remansissent sub jurisdictione singulorum Episcoporum. Exemptiones, immunitatesque a jure episcopali, cum valde prodesse bono communi ordinum, omnibus fuerunt æque probatæ; nec ortas reclamaciones et querelas videmus, antequam Mendicantes obtinuerint privilegia prædicandi, sacramenta fidelibus administrandi, fideles ad suas respective Ecclesias adducendi, eo modo qui pluribus visus est derogans juribus parochialibus, ipsique Ordinariorum dignitati. Nostrum non est harum controversiarum historiam referre, et querelarum in quibus, ut sæpius evenit in arduis negotiis, utrinque peccatum est. S. Pius V testatur in Const. *Etsi Mendicantium* (an 1567), ad confirmationem et novam concessionem indulgentiarum pro ordinibus Fratrum Mendicantium data, *plerosque ex Archiepiscopis et Episcopis* horum ordinum privilegiis gravamen afferre conatos esse (§ 1). Verisimile est non defuisse quosdam ex tot prælatis qui magis se sollicitos habuerint de servanda integritate suæ jurisdictionis, quam de obsequio præstando mandatis Sanctæ Sedis, quæ certissime potest, ad consulendum utilitatibus Ecclesiæ universalis, limites apponere jurisdictioni ordinariæ Episcoporum, exemptionibus, seu localibus seu personalibus; at nullatenus dubium est plures regulares occasionem præbuisse querelis Episcoporum, exaggerando jura sibi indulta, iisque utendo modo indebito. Res eo devenerant ut « nisi eorum conatus Apostolica Sedes obstitisset, Episcoporum jurisdictionem « fere labefactassent, » ait Benedictus XIV in libro *de Synodo*, lib. V, cap. v, n° 6.

phi. Baluzius, *Capitularia regum Francorum*, t. II, col. 571 et 866. — *Examen historicum* lib. *Mariani Verhoeven*, cap. ix et xi. — Thomassin, part. I lib. III, cap. xxvi ad xli.

Concilium Tridentinum, ut bis difficultatibus vias occluderet, plurima sanxit quæ mox referemus.

His præmissis de origine privilegiorum quæ sunt concessa regularibus, dicemus quæ sit jurisdictio Episcoporum: 1<sup>o</sup> in congregationes exemptas virorum regularium; 2<sup>o</sup> in congregationes monialium similiter exemptas; 3<sup>o</sup> tandem in congregationes non exemptas.

494. — II<sup>o</sup> *Quæ sit auctoritas Episcoporum in congregationes Regularium exemptorum, quoad erectionem conventuum, ordinationes, et exercitium sacri ministerii?*

Congregationes virorum exemptæ nullatenus obnoxie sunt jurisdictioni Ordinarii, in iis quæ spectant ad regimen internum communitatis, ad celebrationem Missarum intra cœnobium et ad sacramentorum dispensationem in favorem fratrum, nec non illorum qui ipsis serviunt, intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt. Hæc autem jure statuta sunt quoad foundationes domorum religiosarum, ordinationes regularium, exercitium sacri ministerii in gratiam sæcularium:

I. *Quoad erectionem conventuum.*

Regulares non possunt nova monasteria, domos, nec etiam capellas erigere, sine assensu Episcopi loci (n<sup>o</sup> 450).

495. — II. *Quoad sacras ordinationes.*

Superiores regulares dirigere debent ad Episcopum diœcesis litteras dimissoriales ac testimoniales quas dant suis subditis ad suscipiendum ordines; nec isti ab alio ordinari possunt, nisi Episcopus absens sit e sua diœcesi, aut ordinationes non sit habiturus; quo in casu concessa est prælato regulari facultas suos subditos dimittendi ad quemcumque Antistitem, dummodo non in fraudem, hoc est, nisi, de industria, litteras dimissorias illis dare distulerit ad tempus quo prævidebat diœcesanum Episcopum abfuturum, aut ordinationem non habiturum; quæ fraus an vere commissa sit, ex circumstantiis facti judicatur. Ita præscripsit Clemens VIII. (Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. IX, cap. XVII, n<sup>is</sup> 2 et 3.) Episcopus autem qui sacros ordines con-

fert, jure potest ordinandum examinare, an habeat doctrinam requisitam<sup>1</sup>.

*Nota* 1<sup>o</sup> Ex decreto S. Congregationis (n<sup>o</sup> 466), superiores Regulares non possunt dare litteras dimissorias suis subditis, nisi pro prima tonsura et ordinibus minoribus, donec, triennio expleto a prima professione, vota solemnia emiserint.

*Nota* 2<sup>o</sup> Qui initiantur sacris ordinibus in congregatione regulari, vi indultorum apostolicorum cum litteris sui superioris, si congregationem quacumque ex causa deinceps relinquunt, adire debent Episcopum qui illos suscipere velit.

Nihil sancitum jure communi novimus ea de re, cujus scilicet Episcopi jurisdictioni subdi debeant clerici, qui e religione, in qua sacros ordines susceperant, egressi sunt, obtenta dispensatione votorum. Opinari tamen fas est quæ sit mens Ecclesiæ, ex praxi et variis decretis SS. Pontificum. Regulares non obtinent dispensationem super votis solemnibus, quin indulto provideatur futuro illorum statui. Plures Pontifices, præsertim Benedictus XIII et Benedictus XIV, ea conditione concesserunt superioribus nonnullarum Congregationum sæcularium facultatem ordinandos admittendi *ad titulum mensæ communis*, ut si ordinati « recedant a Congregatione, eo ipso remaneant suscipiendi ab exercitio suorum ordinum, donec constare fecerint ordinariis locorum, sub quorum jurisdictione fuerint, se aliunde commode vivere posse<sup>2</sup>. » SS. Noster Pius IX similem favorem nuper quibusdam Congregationibus concedendo, dandi scilicet, numero determinato, litteras dimissoriales alumnis qui

<sup>1</sup> Regulares qui privilegium habent suscipiendi ordines extra tempora (n<sup>o</sup> 528), non idcirco existimare debent Episcopum voluntate ipsorum adeo addictum esse, ut si aliquando ipsis placuerit ad ordines promoveri, et voti compotes facti non fuerint ipso die ab ipsis designato, jam dici possit ordinationem ab Episcopo non haberi, et consequenter dari illis facultatem adeundi alium Episcopum. Privilegium datum confert quidem facultatem suscipiendi ordines, sed sub ea conditione quod ordinario loci opportunum fuerit conferre ordines extra tempora consueta.

<sup>2</sup> GIRALDI, *Expositio juris Pontificii*, part. II, sect. LIV.

ab Ordinario originis rite excardinati, nomen Congregationi dederunt, conditionem etiam adjecit quod « si pia congregatione relicta, quacumque ex causa, in sæculum redierint, ab ordinum exercitio suspensi maneant, nec ad ordines superiores promoveri possint, nisi prius benevolam Episcopum, qui eos in sua propria diœcesi tanquam suos subditos recipiat, invenierint<sup>1</sup>. »

496. — III. Quoad officium parochiale, quando parochia unita est monasterio alterive domui religiosæ, regularis quem superior conventus deputat ad munus pastorale, non potest curam animarum assumere, absque prævia Episcopi approbatione. Est præterea ejusdem Episcopi jurisdictioni subjectus in omnibus causis et negotiis regiminis ecclesiæ, adeo ut quidquid Episcopus a parcho sæculari exquirere solet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parcho regulari exquirere possit ;

<sup>1</sup> Sicut *incardinati* Ecclesiæ dicuntur clerici, qui eidem ecclesiæ adscripti sunt titulo ordinationis, vel beneficio canonice adepti, vel etiam admissione in clerum diœcesis, facta absolute ab Episcopo ; ita *excardinatos* dicimus qui a lege diœcesis solvuntur, adepta facultate in aliam transeundi, aut ingrediendi ordinem religiosum. Episcopus non potest suum clericum a propria diœcesi dimittere, nisi volentem. Si ipsi dederit litteras dimissorias ut migrare valeat in aliam diœcesim determinatam, vel etiam in quamcumque liberit, res acta non erit, vinculum subjectionis solum non censebitur, donec alter Episcopus hunc clericum in suos subditos acceptare suoque clero cooptare voluerit, quia leges canonicæ vetant clericum vivere vagum, suo arbitrio derelictum, nullius subjectum Episcopi jurisdictioni. Litteræ igitur dimissorie quantumvis absolute suis terminis videantur, datæ sunt sub ea conditione. Ingredientibus religionem, eadem applicantur principia : litteræ excardinationis ad hunc finem obtentæ, effectum habent facta professione ; atque ideo voluit S. Pontifex illos qui, relicta congregatione religiosa, in qua sacros ordines susceperant, redeunt ad sæculum, ab iisdem ordinibus remanere suspensos, usque dum invenerint Episcopum qui velit eos in suos subditos recipere. Si non fuissent dimissi a propria diœcesi, sed ordinati cum licentia Episcopi, sub illius jure reducerentur, et consequenter posset illos revocare quando congregationem relinquunt. Idem probabiliter posset Episcopus erga clericos in religione ordinatos vi indultorum apostolicorum ; licet non teneretur eosdem in suum clerum recipere, si expedire non judicaverit bono diœcesis. Cf. decisionem S. Congregationis in causa diœcesis Reatinæ (n. 170, tom I, *Prælectionum*, pag. 278).

atque, ubi muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere, ac meritas in eundem pœnas statuere. Cum Parochi regulares sint amovibiles, Episcopus potest ad illorum remotiorem procedere, sine assensu superioris regularis, quin teneatur causas sui iudicii aperire, multo minus probare. Jus idem reciproce asseritur superiori regulari in suum subditum. Ita indixit Benedictus XIV, Const. *Firmandis*, ann. 1744 ; qui simul explicavit in quæ extendatur visitatio Episcopalis parochiarum Regularibus commissarum.

497. — IV. Quoad *sacrum ministerium*, extra officium parochiale.

Gregorius XV statuit Cons. *Inscrutabili*, an. 1622 : « Regulares in suis ecclesiis prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare et ab iis benedictionem petere teneantur ; in ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint, sine licentia Episcopi : contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum ordinum ecclesiis, prædicare præsumant... Tam regulares quam sæculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium... exercent ; sive alias ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrent prævia Episcopi licentia et approbatione ;... in his quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, et correctioni diœcesani Episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, plane in omnibus subijciantur. » Itaque :

<sup>1</sup> Regulares, ne in suis quidem ecclesiis, prædicare possunt fidelibus, non obtenta benedictione Episcopi, aut saltem eo contradicente : ideo abrogata sunt privilegia in contrarium olim ipsis indulta. Gregorius ita statuendo confirmavit et ampliavit decretum Conc. Trid., sess. V, cap. II, *de Reform.*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Haud semel declaratum a S. Congregatione fuit, Episcopum jus habere inhibendi Regularibus ne in suis Ecclesiis prædicent eadem hora qua ipse in altera Ecclesia concionem habet, aut coram se solemmiter prædicari facit (Bened XIV, *de Synodo*, lib. IX, cap. XVII, n. 7). Tametsi debeat illis libertatem relinquere suas conciones habendi hora quam expedire judica-

2º Nullus regularis potest confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire nisi ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem obtinuerit, privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus. Conc. Trid. sess. xxiii, cap. xv, *de Reform.* Clemens X decrevit Const. *Superna*, an. 1670 : « Illos religiosos qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, et indistincte absque ulla limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittendos. Cæteros vero qui non adeo idonei reperiuntur, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis videbitur, probare et admittere. »

Exinde sequitur Episcopum posse per seipsum, aut per alium, examinare an regulares idonei sint pro sua doctrina, virtute, atque prudentia, excipiendis confessionibus...

Sequitur admittendos esse, communiter loquendo, ad audiendas confessiones indistincte atque sine limitatione temporis, locorum, aut personarum, quos repererit generaliter idoneos, cæteros vero minus idoneos cum limitata potestate admitti debere, prout Episcopo videbitur. Dixi *communiter loquendo*, quia si praxis diuturna, vel statutum diœcesium ferat sacerdotes, v. g. ad annum solummodo approbari, vel juniores non admitti usque ad certam ætatem pro audiendis confessionibus mulierum, non est cur regula illa generalis non applicaretur presbyteris regularibus, eodem modo ac sæcularibus. Clemens X tutos esse voluit regulares a restrictionibus et limitationibus arbitrariis; nemo autem conqueri jure potest de gravamine, dum subicitur disciplinæ communi diœcesis. Hæc interpretatio confirmatur auctoritate Benedicti XIV, qui, cum esset archiepiscopus

verint, ne graventur præter æquitatem in exercitio sui juris; poterit, si aliquando, ratione peculiarium circumstantiarum, utilitas et ædificatio fidelium ex postulaverint, exigere ut abstineant a concione publica in sui Ecclesiis, dum, eo etiam absente, publica exercitia fiant in Ecclesiis parochialibus.

Bononiensis, non existimavit ullo modo contrarium esse constitutioni Clementis statutum generale quod sic edixit: *Facultatem audiendæ confessionis certis limitibus concludendam diximus, ita ut anni spatium nunquam excedat, eoque peracto sacerdos, tum regularis, tum sæcularis, illius prorogationem a nobis petere teneatur.* (Inst. lxxxvi, nº 9.)

Sequitur Episcopum, etiamsi facultatem concesserit absque ulla limitatione temporis, posse ad novum examen revocare regulares, quando ratio est timendi ne idonei esse sacro ministerio desierint; quemadmodum potest etiam examinare eos qui examinati et approbati fuerint a suo prædecessore, vel a suo vicario generali. Quod si, peracto examine, opportunum judicaverit facultates concessas auferre, nihil obstat quominus eas retrahere valeat; quod sanctus Carolus in suo concilio Mediolanensi vi prudenter caverat, Episcopum quemque admonendo, ut « a confessionibus audiendis suspendat, aut omnino amoveat confessarios, etiam regulares, quos viderit in eo munere non ita sincere, integre, et cum ædificatione se gerere, quemadmodum et tanti ministerii sanctitas, et animarum salus deprecatur. » At Clemens X statuit, in constitutione mox prolata, « confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Apostolica Sede, nullatenus posse; » quia non præsumendum est omnes simul incidisse in reatum qui talem privationem mereatur; aliunde ea ratione agendi perturbarentur conscientiæ, et occasio daretur scandalo fidelium.

Sequitur tandem regulares non posse absolvi a casibus quos Episcopi sibi reservant, nisi ab ipsis specialem facultatem habuerint.

5º Regulares non debent administrare communionem paschalem, nec viaticum, neque extremam unctionem, iis qui non sunt de familia cœnobii, absque licentia Episcopi. De pueris ad primam communionem admittendis diximus in alia parte, ubi de juribus parochialibus tractatum fuit (nº 241).

4° Non possunt, in propriis etiam Ecclesiis, sanctissimum Sacramentum publice adorandum exponere fidelibus, nisi ex causa quæ probata sit ab Ordinario; nec novas reliquias ab Episcopo non recognitas exponere.

5° Tenentur nuntiare, et in suis Ecclesiis servare interdicta, aliasve censuras ab Episcopo prolatas; accedere ad solemnes supplicationes ab Episcopo indictas; et si forte oriatur controversia de præcedentia inter sæculares et regulares, vel ipsos inter regulares ad invicem, Episcopi est dissidia componere, amota omni appellatione. (Conc. Trid., sess. xxv, cap. xii et xiii.)

6° Subsunt immediate Episcopis, in iis omnibus quæ ad fidei puritatem referuntur. Quamobrem nequeunt librum imprimere absque prævio examine Episcopi et approbatione; sub eo enim respectu eadem lege tenentur ac cæteri clerici sæculares. Non possunt confraternitates erigere in suis Ecclesiis, nisi de eisdem consensu.

7° Episcopus potest animadvertere in regulares qui delinquant extra monasterium, si prælatus regularis, admonitus ab eo, reos delicti punire negligat. In præmissis item casibus, quæ ad prædicationem verbi divini, cultum publicum, sacramentorum dispensationem, etc., spectant... « quoquomodo delinquentes, « quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per « censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti S. Sedis delegati, « procedere, omnemque jurisdictionem exercere valent. » Const. *Inscrutabili* Gregorii XV.

Quod si forte, quod absit, contigerit aliquem regularem insurgere contra Episcopum in propria diœcesi, maledicto, scripto vel dicto, ita notorie quod populo scandalo sit, superior regularis tenetur, instante Episcopo, atque intra tempus ab eo præfigendum, punire severe suum subditum, et de punitione Episcopum certiores facere; alioquin ipse Episcopus reum punire poterit ad præscriptum concilii Tridentini, sess. xxv, cap. xiv. Si prælatus regularis, nedum in suum subditum animadverterit,

eum impunitum transmisit ad alia loca sui ordinis extra Episcopi diœcesim, tenetur, sub gravissimis pœnis, regularem delinquentem e loco ad quem transmissus fuit revocare, et in locum ubi deliquit constituere. « Quod si hoc etiam facere prætermiserit, edixit Clemens VIII, statuimus ut Ordinarius loci ad « quem regularis delinquens transmissus fuerit, ab ipso Ordinario loci in quo deliquit, requisitus, vel alias de illius delicto « informatus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, prædictum « concilii decretum omnino exsequi, et in regularem delinquentem severe animadvertere possit et debeat. » Const. *Suscepti muneris*, an. 1596.

8° Demum, Regulares quorum domus non est canonice constituta, sive quod desit numerus competens religiosorum, sive quod servata non sit forma necessaria ad erectionem domorum religiosarum, non potiuntur privilegio exemptionis a jurisdictione Episcopi (n° 449).

Hæc cum ita sint constituta, exemptio regularium nihil amplius habet quod jurisdictioni Episcoporum adversum videri possit. Consulitur simul ordinum religiosorum utilitati et Ordinariorum dignitati.

498. — III° *Quæ sit jurisdictione Episcopi in congregationes monialium exemptarum?*

Congregationes monialium exemptæ subjiciuntur Episcopo, quemadmodum Congregationes virorum, in iis quæ ad foundationem novi conventus referuntur. Præterea Episcopus jus habet 1° probandi postulantes et novitias antequam admittantur ad habitum religionis, et ad professionem; 2° invigilandi super clausura, et super accessu extraneorum ad monasteria monialium; 3° ad assistendi electioni superiorissæ; 4° probandi confessarios qui electi fuerint a Prælati regularibus; et deputandi confessarium extraordinarium, sæcularem aut regularem, quando id neglexerunt Prælati regulares, vel gravis urget alia causa; 5° invigilandi administrationi bonorum temporalium.

De tribus articulis prioribus dictum est supra (n<sup>o</sup> 462, 467, 490).

I. *Quoad confessarium monialium exemptarum*, hæc definita sunt a S. Sede. 1<sup>o</sup> Necessaria est approbatio Episcopi confessariis quos Prælati regulares deputant, adeo ut invalida sit absolutio, si desit hæc approbatio, quod intelligendum est de ipsis etiam Prælatibus regularibus, si attentent excipere confessiones monialium sibi subjectarum. 2<sup>o</sup> Confessarii approbati ad audiendum confessiones monialium unius monasterii, non idcirco approbati sunt pro monialibus alterius monasterii. 3<sup>o</sup> Episcopus remove potest, ex causa rationabili, confessarios deputatos et approbatos, si superiores admoniti eos remove detrectent, nec rationem suæ determinationis tenetur significare superioribus. 4<sup>o</sup> Approbatio data pro monialibus protrahitur ad triennium, quo elapso, confessarius non potest confessiones audire in eodem monasterio, nisi licentiam obtinuerit a S. Congregatione, alias declaratur suspensus ab audiendis confessionibus. S. Congregatio non consuevit dare hujusmodi facultatem nisi ad aliud triennium tantum, addita insuper conditione quod accedat consensus duarum saltem ex tribus partibus monialium, capitulariter et per suffragia secreta præstandus. Expleto secundo illo triennio opus est novo indulto, et recurritur ad S. Pontificem. 5<sup>o</sup> Regulares prælati monialibus sibi subjectis confessarium ordinarium e suo ordine designare solent; extraordinarium autem, saltem semel in anno, deputare debent sæcularem aut ex alio ordine regulari; adeo ut si intra tempora præscripta, confessarium extraordinarium deputare neglexerint, vel semper proprii ordinis regularem ad hunc effectum deputaverint, ad Episcopum diocæsanum devolvitur, omni appellatione remota, jus supplendi eorumdem prælatorum defectum, sacerdotem assignando, aut e clero sæculari, aut ex alio ordine regulari. 6<sup>o</sup> Quamdiu confessarius extraordinarius alicui communitati deputatus suo ministerio fungitur, confessarius ordinarius abstinere debet ab excipienda confessione alicujus monialis,

alteriusve cujuscumque personæ intra septa monasterii commorantis. Confessario autem extraordinario, postquam suum officium expleverit, districte inhibetur, sub variis pœnis, ne ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ aut necessitatis obtentu, præsumat. (Const. Benedicti XIV, *Pastoralis curæ*, an 1748 <sup>1</sup>.)

II. *Quoad regimen bonorum temporalium*. Non subditur, natura rerum, jurisdictioni episcopi, hæc enim per se non sunt objectum jurisdictionis spiritualis, sed penes communitatem remanent quæ illorum habet dominium. Conveniens tamen erat ut episcopus invigilaret huic administrationi ad præcavendos abusos, et detrimenta quæ exinde tum ipsæ communitates, tum religio, paterentur. Hinc statutum fuit a Gregorio XV, Const. *Inscrutabili*, ut administrantes bona ad monasteria sanctimonialium, « etiam Regularibus subjectarum pertinentia, singulis » annis rationes administrationis reddere teneantur, ad idque » remediis juris cogi et compelli queant; liceatque Episcopo ex » rationabili causa, superiores admonere ut ejusmodi administratores amoveant. » § 5. S. Congregatio Regularium, sæpe ea de causa interrogata, declaravit ad mentem constitutionis Gregorii XV, Episcopum non debere se ingerere in administrationem directam bonorum, sed ab eo approbandos esse administratores extraneos quos conventus elegerit; ipsi reddendas esse rationes singulis annis, quas approbat aut improbat, reformationes abusuum, si locus fuerit, injungendo; nullas impensas extraordinarias, nec commutationes immobilium, nec acquisitiones onerosas in re gravis momenti, aliosve actus hujusmodi, fieri posse, eo non consulto.

499. — IV<sup>o</sup> *Quæ sit jurisdictio Episcopi in congregationes non exemptas?*

Vel congregationes fuerunt approbatæ a S. Sede, vel non.

<sup>1</sup> Ferraris, n<sup>o</sup> *Monialis*, art. v.

I. Quamdiu congregationes religiosæ, sive virorum sive mulierum, non obtinuerunt approbationem a Sancta Sede, dimituntur prudenti arbitrio Episcoporum in omnibus quæ, ex natura rerum subsunt, jurisdictioni spirituali; Episcopi vero rationem habere debent votorum, si, de sua vel suorum prædecessorum licentia, emissa sint, et regularum quæ eadem auctoritate fuerint stabilitæ. Nihil immutari oportet nisi suadeat necessitas, aut accedat consensus illorum quorum interest, in conditione votorum, nec in obligatione quam regulæ inducunt; alioquin forte pessumdaretur pium ac utile institutum. Cæterum, status ille diu perdurare difficile poterit respectu congregationis quæ domos fundaret extra diœcesim; qua enim ratione provideretur unitati regiminis congregationis, cujus conventus per varias provincias constituti, subderentur auctoritati Ordinariorum, qui singuli, in sua respective diœcesi, poterunt regulas immutare, aut egressum e conventu prohibere, vel etiam obstare quominus domus visitetur a superiorissa generali? Ergo recurrendum est ad Summum Pontificem, ut congregatio stabilitate fruatur, approbata, auctoritate apostolica, ipsius constitutionibus.

II. Quando congregatio fuit approbata a S. Sede, cum suis constitutionibus et regulis, Episcopus nihil immutare valet, sed dimittere debet religiosæ curam suum institutum regendi juxta ordinem præstitutum probatumque, quod hæc tria præsertim complectitur: 1° libertatem electionis superioris generalis et superiorum localium ex præscripto regularum; 2° jus superioris generalis providendi observantiæ regularum, et visitandi personaliter, aut per alios ab eo deputandos, domos suæ congregationis; 3° facultatem disponendi de bonis communibus ad providendum utilitatibus instituti, servatis jure servandis. Sunt hæc totidem consecraria approbationis obtentæ.

III. Hæc communia sunt congregationibus virorum et mulierum.

Superiores congregationum virorum qui ad clerum sæcularem pertinent, non habent jure communi jurisdictionem spiri-

tualem utriusque fori (n° 492). Quapropter, nisi speciale Indultum obtinuerint a S. Sede, necesse est ut ad Episcopum recurrant, quoties agitur de actibus jurisdictionalibus, v. g. de dispensatione super legibus canonicis, de absolutione a censuris, etc... Quidquid vero ad regimen communitatis, et ad bonorum temporalium ejusdem communitatis administrationem refertur, illis demandatur, adeo ut non teneantur de iis rationem reddere Episcopo, sed ipsi omnibus provideant servando regulas sui instituti. Praxis generalis disciplinam ecclesiæ in eo sensu interpretatur atque confirmat. Episcopo curandum est solummodo de integritate fidei, de puritate et decentia cultus divini, de observantia regularum generalium juris canonici. Jus habet visitandi domos horum religiosorum et corrigendi abusus qui irrepserint contra regulas communes jure canonico indictas. Si necessarium ipsi videatur aliquam inducere reformationem in regimine instituti, et auctoritas superiorum sit insufficientis ad instaurationem disciplinæ, recurret ad S. Pontificem, qui provideat, deputando commissarium apostolicum.

Superiorissæ communitatum mulierum jus pariter habent suum institutum regendi, nec fas est Episcopis locorum immutare regulas quas approbavit Sancta Sedes. Si omnes domus ejusdem congregationis intra limites diœcesis sitæ sint, Episcopus poterit illas visitare, inquirere an regula instituti servetur, an vigeat integritas disciplinæ, supplere negligentiam superiorissæ, mandata opportuna ad instaurationem disciplinæ, et modum convenientem clausuræ indicere. Debet præterea invigilare administrationi bonorum temporalium; quod enim ipsi jure fuit attributum quoad monasteria etiam exempta, a fortiori ei competere censetur erga domos religiosas mulierum, quæ ipsius jurisdictioni ordinariæ subsunt. Hæc, inquam, cuncta aget, providebitque paterna sollicitudine bono communi totius Congregationis et singularum domorum, juxta regulas approbatas a quibus non est recedendum.

Si vero institutum habeat domos in variis diœcesibus, ut,